

DISSERTATIO IN ILLUD:

Tres sunt qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. ad 1. Jo. 5. 7.

Quamquam in Sacris Utriusque Testamenti Libris lectionum varietas sæpe occurrit, nulla quidem tantum ponderis sese offert, ut eam attingat, quam ex quinto primæ S. Joannis deceptam perpendendam

aggredimur. Variarum lectionum pleræque quædam verba pro aliis afferunt, quædam omittunt phrasas, quædam addunt: hæc rarè varietas ad Religionem pertinet, aut Fidem. Hic vero de integrâ agitur periodo, quæ in plurimis exemplaribus deest; ejus autem omisio maximi interest. Fidei enim hostes hac abutuntur, ut Ecclesiæ de Trinitate dogma impugnent, suamque pravam, adversus æqualitatem, & unam Divinarum Personarum substantiam, sententiam fulciant.

Non modò Trinitatis adversarii neque authenticum, neque legitimum esse asseruerunt: plures etiam ex iis, qui Trinitatem, æquè ac nos, fatebantur, sive Exemplarium, in quibus hic locus deerat, multitudine suaderentur, sive critici animi ducerentur cupidine, eâ de re non caute, ut par erat, disseruere. Erasmus e.g. in primâ Testamenti Novi Græcè & Latinè redditi Editione hunc locum suppressit (a). Lutherus in suâ Germanicâ Versione eundem præterit; quem neque plurimæ per Catholicos, de quibus nulla, in Trinitatis Fide suspicio (b), vulgatæ Editionis afferebant.

Simonius (c), suis criticis in utrumque Testamentum scriptis celeberrimus, hunc Locum nostris Bibliorum exemplaribus additum & genuinum S. Joannis non fuisse & fuscè, & expressè defendit. Christophorus Sandius Socinianus, quidquid ad suspensionem de eo creandam confert, accuratè congestit. Quidam ab Arrianis suppressum; quidam verò à Catholicis additum putavere. Grotius denique ipsorum Arrianorum calliditate S. Joannis textui insertum fuisse suspicatus est.

Eruditissimorum verò Criticorum plerique, sive Catholici sint, sive Protestantæ, legitimum, atque authenticum agno-

vere. Stunica (d), P. Alexander (e), Millius (f), P. Bukentop (g), Kétnerus (h), Seldenus (i), P. Martianæus (k), Schmithus, & demum Rogerius (l), expressè authenticum esse tuerentur. Commentaria hic præmittimus, à quibus fermè omnibus ejusdem veritas & auctoritas defenditur.

Ad Lectores perfectè erudiendos utriusque argumenta referemus, ut causâ plenè cognitâ, judicium æquabile valeant pronunciare.

ARTICULUS I.

Argumenta in Canonicam auctoritatem hujus Textus.

Exemplaria omnia sive impressa, sive Mss. ad tria genera redigimus; hæc locum, de quo quærimus, prorsus omittunt; illa servant omnino, Vulgatæ nostræ perfectè respondentia; postrema denique eundem locum diversimodè exhibent, vel enim margini inscribunt, vel Textui itâ inserunt, ut versus octavus septimum præcedat (m): Tres sunt, qui testimonium dant, sicut dicunt in terrâ, Spiritus, aqua, & sanguis; & hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dicunt in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus; & hi tres unum sunt: vel hæc tantummodò proferunt (n): Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus; & hi tres unum sunt: & ea, quæ subdantur: tres sunt qui testimonium dant in terrâ &c. prorsus omittunt; vel denique versus octavum sic legunt [o]: Et tres sunt, qui testimonium dant in terrâ, spiritus, aqua, & sanguis; & præmittunt: & hi tres unum sunt. Quæ ultima verba à veris Exemplaribus nunquam fuisse allata S. Thomas defendit (p).

Lorino, Lucâ Brugenfi, & Hesselio testibus, à pluribus Latinis Exemplaribus locus iste minimè proditur; qui neque legitur in Polyglottorum Complutensium Latino & Græco, neque in duobus S. Germani Pratenfis Mss. n. 43. & 44. neque de.

d Stunica ad-
vers. Erasmus
in 1. Joan. 5. 7.
Compluti
1519.

e Natal. Alex.
in N. T. tom.
1. art. de Epi-
stol. Canonic.
f Millius Dis-
sert. in 1.
Jo. 5. 7. ad
calcem Variar.
Lectio. in
Epist. 1. Jo.
g Bukentop
Lux de Luce 1.
2. pag. 306.

h Kétner. De-
fens. hujus
loci, Dissert.
singular.
i Selden. 1. 2.
de Synedr. c. 4.
pag. 133.
& sequ.

k Martian.
not. in Prolog.
Catholic. pag.
1669. 1670.
tom. 1. nov.
Edit. Hierony-
mi.

l Roger. Dis-
sert. Critic.
Theolog. in
hunc loc. Pa-
ris. 1713.

m Vid. Cod.
Corbei. n. 2.
apud Martian.
pag. 1675. Ita
& Eugen.
Carthag. 1. 1.
de Cathol. Fi-
de. Vide &
Idacium ad-
vers. Vari-
mand. & Ful-
gentium Resp.
contra Arria-
nos, & multa
Vulgata exem-
plaria. Roger.
p. 128.

n Ita Cod. duo
Murbar. &
unus Com-
pend. à me vi-
si, & aliè
quidam.

o Omissis Com-
plut. & Cod.
Britann. Cod.
Lact. Lovan.
15.

p D. Thom.
Opuscul. 24.
de.

a Ann. 1516.
& 1519. Basile.
lea.
b Edit. Aldi
Venet. 1518.
Volsii Argen-
tor. an. 1524.
Colinai Pa-
ris. an. 1534.
Vide & Edit.
Lovaniens.
Lugdun. ann.
1562.
c Simon. Critic.
N. T. &
in Dissertat.
in calce sua
Critic.

q Ita Clem.
Alex. in La-
tinis Casiodor.
Ambros. 1. 3. c.
11. de Spiritu
Sancto. Vigil.
Tapf. seu alius
lib. de Fide ad
Theophyl. &
lib. de unica
Trinitatis
Deitate.

demum in Mss. Alexandrino, & Anglico, cujus postremi apud Erasmus mentio.

Sunt & Exemplaria, quæ addant (q): Et hi tres unum sunt in Christo Jesu; ne spiritus, aqua, & sanguis unum eo modo esse crederentur, quo unum sunt Pater Verbum, & Spiritus Sanctus. Græca Exemplaria pro Et tres unum sunt, ferunt: Tres in uno sunt. Vigilus Tapfensis, & Pseudo-Epistolæ Hygini Author legunt: In nobis sunt.

Præcipuum adversariorum hujus loci auctoritatè argumentum inde instituitur, quòd à Græcis Mss. Originalibus, à Syriacâ omnium Orientalium vetustissimâ Versione, ab Arabicâ, ab Æthiopicâ, à plurimis demum Latinis Exemplaribus non afferatur; quòd præterea neque à præcis Græcis & Latinis, qui Arium impugnant, Patribus, neque à Conciliis adversus hunc Hæresiarum coactis allegetur: quem ea propter Veteres ignorasse videntur, hunc enim præ omnibus ad Arium oppugnandum produxissent. Si ergo senior antiquitas, & clariora Ecclesiæ sæcula hujusmodi Textum ignorare, primis quidem Originalibus tum defuisse, S. Joannis verò Exemplaribus, plurimis post ipsum sæculis, insertus satis ostenditur.

Producuntur etiam Alexandrinum, & Vaticanum Mss. fortè omnium, quæ extant, vetustissima, in quibus hæc solummodò: Tres sunt, qui testimonium dant, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt: cætera verò præmittuntur, quæ desiderantur etiam in quindecim, aut sexdecim quæ à Millio, in quinque Regiæ & in sex Colbertinæ Bibliothecæ Græcis Mss. quæ à Simonio allegantur. Burnetus Salisburgensis Episcopus gemina Mss. in Venetâ & Basileensi Bibliothecis invenit. Vindobonensis singularè & Lincestrensis Bibliothecæ alterum Mss. omittit: In cælo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt, & tres sunt, qui testimonium dant in terrâ.

Græcæ Aldi Venetæ Editiones anni 1518. Basileenses Erasmi 1516. & 1519. Hagenonensis 1521. Argentoratensis 1524. & Parisiensis Simonis Colinæi 1534. eadem præmittunt. Robertus Stephanus in Græcâ Novi Testamenti editione an. 1550. hunc locum, ut afferat à Vulgatâ, & à Græcis exemplaribus post ipsum excusis, S. Joannis Textui inseruit; notam verò margini adscribit, qua ab Editione tantummodò Complutensi eam lectionem se hausisse fatetur. Quare inter septem Græca Mss. Canonicarum Epistolarum, quæ ipse consuluerat, nec unicum (r) reperire fuit, quod cum nostris Bibliis eo de loco conveniret.

Editionis verò Complutensis, cui Robertus adhæsit, auctoritatem magni non esse faciendam ostendunt. Cardinalis Ximenes, cujus operâ Complutensia Polyglotta edita fuerit, Rhodiensis tantummodò, & nonnullis Romanis, quæ Leo X. ad eum miserat, Græcis Mss. usus est, à quorum utrisque hunc locum minimè allatum scimus. Jacobus Lopez Stunica, qui Græca Dissert. Calmet Tom. II.

Exemplaria pro Complutensi Editione adhibita viderat, in disceptatione, quam hac de re cum Erasmo instituit, nullum, quod locum præferret, allegavit. Cùm verò, Urbano VIII. Ecclesiam gerente, omnia congesta sunt Mss., quæ Romæ in Bibliothecis seu Vaticanâ, seu Barberinâ asseruabantur, ut Novi Testamenti Græca Editio recuderetur, octo tantummodò inventa sunt, quæ Canonicas complecterentur Epistolas, nullum verò eorum locum, de quo differimus, assererat (r).

Manuscriptum, quod Seidelus ab Oriente Berolinum transtulit, & cujus in suâ novâ Novi Testamenti Millii an. 1710. Editione Kusterus meminuit, eundem locum omittit: quem & Simonius in Regiâ Bibliothecâ nullibi se reperisse testatur, quamvis octo ibi saltem Mss. evolverit, quorum quædam cùm recentissima essent, illud suadent, quòd is locus apud Græcos Recentiores, æquè ut apud Veteres, nullius haberetur auctoritatis. Alia tria Mss. eisdem Regiâ Bibliothecæ à D. Le Tellier Rhemeni Archiepiscopo dono tradita producit Rogerus, à quibus locus idem prorsus omittitur (r).

Mss. Latina prorsus ad Vulgatam accedunt; quorum tamen plurima exant, quæ Textum, de quo quærimus, omnino prætereunt. Prologi in Canonicas Epistolas Author, qui Hieronymi nomen præfert, & de quo nos fuissemus infra, de Amnueusibus idcirco queritur, quòd suis Exemplaribus hunc exactè locum non inseruerint; ex quo quidem eundem tunc pluribus defuisse satis constat. Eum verò Prologum, qui in vetustissimis (u) Mss. occurrit octavo sæculo minimè posteriorem credimus; quare vetustissimus est sine controversia.

Ab Erasmo duo Latina Bibliothecæ S. Donatiani Brugenfis Exemplaria, quatuor verò post Gilbertum Burnetum allegantur à Millio, quorum duo in Bibliothecâ Argentoratensi, alterum in Basileensi, postremum in Tigurinâ asseruntur, & vetustatem suam ad annos supra octingentos protrahunt; hæc autem omnia allato Epistolæ Joannis Textui penitus carent. Quinque Mss. quæ suorum Bibliorum margini à Lovaniensibus Doctoribus inscribuntur; unicum vetus Mss. è Bibliothecâ Bodlejanâ; alia tria S. Germani Pratenfis; aliud S. Aubini, & aliud S. Sergii Andegavensium, utrumque vetustate spectatissimum; aliud S. Martini de Campis, Carolo Calvo imperante conscriptum; Ludovici Pii pulcherrima Biblia, ex Colbertina Bibliothecâ; Vetus Bibliorem Correctorium à Lucâ Brugenfi productum; plurima demum Mss. Latina eundem Joannis Textum omnino prætereunt.

Latina alia in corpore omisum margini adscribunt; hujusmodi sunt Mss. Antuerpiensè Fratrum Ordinis S. Francisci, quod Erasmus allegat; aliud ex Regiâ Bibliothecâ sub numero 3584. quod à Simonio citatur, & hæc margini designata producit: In cælo Pater, Verbum, & Spiritus; & tres sunt, qui testimonium dant in

s Vid. Præfat.
Joann. Matth.
Caryophylli ad
calcem Caten.
Græc. edit.
Pepr. Possini
in Marc. Ro-
ma 1671.

t Codd. 2242.
2869. 3425.

u Est in duobus
Bibliis
Mss. S. Aubini,
& S. Sergii
Andegavensium,
quorum altera
900. altera
saltem 800.
annorum vetustatem
ostentant. Est
etiam in aliis
vetustis Bibliis,
Carolo Calvo imperante
exaratis.

in terrâ; & hi tres unum sunt: aliud ex Bibliothecâ Colbertinâ sub numero 158. in cuius margine ad illa verba Textus: Tres sunt, qui testimonium dant, respondet: In Calo Pater, Verbum, & Spiritus; & tres sunt, qui testimonium dant in terrâ, sanguis, aqua, & caro. Vetus Ms. S. Germani Pratenfis Versum septimum eadem manu, qua totum volumen, margine adscriptum ostendit. Sunt & alia Ms. Græca æquæ ac Latina, à quibus in margine designata verba afferuntur, quæ licet quandoque phrasim variam, sensum tamen semper eundem præferunt.

A quibusdam Ms. versum octavum septimo præponi jam supra tetigimus: quæ tamen varietas lectionis nunc ab Ecclesiâ acceptæ minimè adversatur. Orientales Versiones, præter Armenam, hunc locum omnes omittunt. Syriaca, Arabica, Æthiopica, Ruthenica, & Coptica habent tantummodò vers. 8. Tres sunt, qui testimonium dant, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt, prætermisissis iis verbis, in terra, quæ à Græca & à Vulgata efferuntur. Tremellius Syriacæ Versionis Editioni ann. 1569. vers. 7. inserit; quem tamen Textui non adjungit, sed margini tantum adscribit. Gutbirius verò cum Textu nescit. Illud planè constat, quòd Ms. omnia, & veteres Syriacæ Novi Testamenti Editiones anno 1562. per Vidmanstadium evulgatæ, locum hunc penitus omittunt.

Quem profectò Veteres seu Græci seu Latini Patres minimè agnoverunt: tum saltem non allegarunt, cum vel ea, de quibus agebant, vel quas defendebant, causæ id exposcerent. S. Irenæus (x) Jesu Christi Divinitati probandæ incumbens, sæpe hanc Joannis Epistolam, imò & ipsum Epistolæ quintum caput producit, verò tamen septimi nunquam meminit. S. Dionysius Alexandriæ Episcopus ad Paulum Samosatensem scribens, versum octavum pluries allegat; versum septimum, qui Christi Divinitatem, & ipsam Trinitatem, quam tuebatur, leuolenter probat, nunquam producit.

Hunc etiam à Patribus Græcis, ante Nicenum Concilium, nunquam allegatum Millius putat. S. Athanasius, qui vitam ferè omnem Arianismi oppugnatione, transiit, quamvis nullam Scripturæ auctoritatem sibi faventem præterire solet, hujus sibi quammaximè conducentis nunquam meminit. S. Epiphanius, Sardicenis Concilii Patres, S. Basilius Magnus, S. Alexander Alexandriæ Episcopus, S. Gregorius Nyssenus, S. Gregorius Nazianzenus, Didymus, S. Chrysostomus, S. Cyrillus Alexandrinus, & alii per plurimi, qui cum hostibus Jesu Christi, & Spiritus Sancti Divinitatem impugnantibus, disceptationes pluries instituerunt, nunquam hoc usi sunt Textu, qui ad unam Trinitatis substantiam comprobendam præ ceteris confert. Quamobrem ab eorum exemplaribus nunquam allatum fuisse certò constat; si enim Textum adeò Trinitati faventem invenissent, tot utique Patres cum minimè neglexissent.

Cujus etiam Latini Patres, æquæ ac Græci, ignari fuisse videntur. Author Tractatus de Hereticorum baptisate, omnium consensu vetustissimi, S. Cypriani operibus inserti, sextum & octavum hujus quinti capitis versus connexos affert, septimum omittit. Novatianus in Libro de Trinitate ad verbi Divinitatem probandam plura congerit; hunc locum, qui præ ceteris probasset, non memorat. S. Hilarius, qui plurimum de Trinitate scripsit, eundem præterit; Lucifer Calaritanus neque in Tractatu de non conveniendo cum hereticis, neque in aliis ejus unquam meminit.

S. Ambrosius (y) sextum & octavum versiculum nescit, septimum omittit: Per aquam & spiritum venit Christus Jesus. Non solum in aquam, sed per aquam & sanguinem, & spiritus testimonium, quoniam spiritus est veritatis. Quia tres sunt testes, spiritus, aqua, & sanguis; & hi tres unum sunt in Christo Jesu. Apud S. Phebadium Aginensem Episcopum, & Faustinum, qui & de Trinitate, & contra Arianos scripsere, hujus loci nulla mentio. Apud S. Hieronymum de eo perpetuum silentium. S. Augustinus, præterquamquòd ejus nunquam meminit, suis Exemplaribus eundem defuisse satis insinuat (z); postquam enim hæc citaverat: Tres sunt, qui testimonium dant, spiritus, sanguis, & aqua, à tribus his Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum designari asseruit, & aliis Scripturæ locis vi quadam ed deducis probavit. Si verò in suis Exemplaribus legisset: Tres sunt qui testimonium dant in Calo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, anne & hic, & alibi hæc verba, quæ Filii & Spiritus Sancti Divinitatem, & unam cum Patre substantiam perspicuè præferunt, producere præterisset?

De quo etiam loco ne verbum quidem apud Leonem Magnum, cuius in Epistolâ ad Flavianum, eundem producere magni intererat. Facundus Hermianensis Episcopus (a) octavum versiculum affert, eumque de Trinitate explicans, Spiritus, inquit, Patrem refert, juxta illud (b): Deus spiritus est; aqua Spiritum Sanctum, de quo illud (c): Qui credit in me, nempe Spiritum Sanctum accipit, flumina de ventre ejus fluent aqua viva; sanguis denique Jesum Christum nostrâ carne indutum designat. Quæ explicatio ab Augustino de prompta vulgò deinde afferebatur; nemo verò ad eam confugisset, si in suis Exemplaribus versiculum septimum legisset. Cerealis contra Maximinum scribens, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti unitatem conatur ostendere: licet verò plurimas eâ de re auctoritates proferat, hanc Joannis præ ceteris sibi faventem silet.

Beda demum, cæterique, qui in hanc Joannis Epistolam scripsere, nunquam celebris hujus loci meminerunt, quem in suis Exemplaribus minimè reperisse, satis superque ostendunt. Didymus, Clemens Alexandrinus, Oecumenius, sex Græcorum Catenæ, quas Simonius hac de re consuluit, septimum versiculum omittunt. S. Eucherius (d) hæc

y Ambros. l. 3. de Spiritu S. c. 11.

z Aug. l. 2. contr. Maximin. c. 22. n. 3. pag. 729.

a Facund. l. 1. c. 3. Jo. 4. 24.

c Jo. 7. 38.

d S. Eucher. Quæst. in N. T. hæc

x Iren. l. 3. c. 18. num. 16. in nov. edit.

hæc explicans: Tres sunt qui dant testimonium, aqua, sanguis & spiritus, ab aquâ Patrem, Christum à Sanguine, à Spiritu Sanctum designari asseruit; & septimum versiculum, quemadmodum S. Augustinus, & Facundus, ad suam sententiam quammaximè conferentem, nequam exhibuit.

Ex quibus omnibus satis ostenditur, septimum hunc versiculum, usque ad septimum, & octavum sæculum, lectum minimè fuisse ab Ecclesiis Orientalibus, neque à Syriaca, neque à Romana, & Africanâ, neque à Mediolanensi, & Gallicâ, neque demum à Sardinienfi, & Britannicâ. Non primùm ab Ecclesiis Orientalibus, quòd à Græcis & Ms. & Patribus nunquam asseratur; non à Syriacâ, quòd ejus, & cæterarum etiam Ecclesiarum Græco idiomate non utentium Biblia eundem locum & in præsentia omittant; non à Romana, quòd Leo, & Novatianus ejus nusquam meminerint; non ab Africana, quòd is ab Augustino, Cereali, Junilio, & Facundo nullibi allegetur; non à Mediolanensi, quòd apud Ambrosium perpetuum de eo silentium; non à Gallicana, quòd S. Hilarius, S. Phebadius, & S. Eucherius eam nunquam producant, neque in Lectionario recenseatur, quem ab hac Ecclesiâ quondam adhibitum P. Mabillonius evulgavit; non denique à Sardinienfi & Britannicâ, quòd eum Lucifer Calaritanus, & Ven. Beda ne verbo quidem unquam tetigerint. Quamobrem illud undique veri speciem magis præfert, quòd locus iste primùm glossarum instar aliquorum Exemplarium margini adscriptus, in ipsum deinde Textum irreperit.

Quæ quidem veri similitudo inde sibi majorem vindicat fidem, quòd ei certo facto innitatur, quo & locus in disceptationem adductus est, & à plurimis Latinis Ms. vetustissimis adscriptus margini exhibetur. Cum verò & alia à Librorum margine in eorundem Textum effluxisse sciamus, & hic idem contigisse non immeritò arbitramur. Catholicis fortè nonnulli Fidei studiosi, quâ vi locus iste Arianos, Macedonianos, & cæteros Trinitatis adversarios oppugnasset, animadvertentes, ab Exemplarium margine in Textum transfulerunt. Quod profectò tum minimè præstatum fuit, cum disceptatio arderet; Arianis enim Textum vitium Catholicis exprobrasset; sed nono, seu decimo sæculo captum fieri putamus, cum ab ea ætate in Textum sensim irreperisse videatur. De Arianis verò, quòd locum à Textu divulserint, suspicio meritò esse non potest; Catholicis enim, quorum semper frequentia floruit, fraude productâ, eos pravæ fidei insinulassent. Exemplaria præterea, quæ apud præcipuos Orientis & Occidentis Ecclesias asservabantur, Arianorum potestatis minimè erant; quare iis, quamlibet sibi fidem vindicasset, ne verbum quidem ab Joannis Textu divellere unquam licuisset.

Grotius non modò ab Arianis versiculum septimum non evulsum, sed ab iisdem insertum suspicatur, ut Patris, Filii, & Differt. Calmet Tom. II.

Spiritus Sancti unitatem, non esse unitatem substantiæ, sed testimonii, ei similem, qua spiritus, aqua, & sanguis unum sunt, ostenderent. Quæ tamen conjectura nulli valido innititur argumento: locus etiam, de quo quærimus, multò magis quàm faveat, Arianis adversatur. Veterum præterea nemini hujusmodi nunquam de Arianis suspicio fuit. Ipsi Ariani ad sua dogmata stabilienda eum locum nunquam allegant; & Patres, qui eos impugnarunt, ad unam Trinitatis substantiam comprobendam, versiculum octavum de Spiritu, aquæ, & sanguinis testimonio proferunt; septimum verò, multò magis sibi faventem, si nossent, utique protulissent.

Celebris affertur locus, quem S. Hieronymo tribuunt, ubi S. Doctor Interpretibus, qui S. Joannis Epistolam ex Græco Latine reddiderunt, infidelitatem exprobrat, quod nempe Patris, Verbi, & Spiritus Sancti quammaximè Catholicæ Fidei conducens, & unam Trinitatis substantiam validissimè stabiliens testimonium prætermiserint (e): In qua ab infidelibus transcriptoribus multum erratum esse fidei veritate comperimus: triam tantum vocabula, hoc est; aqua, sanguinis, & spiritus in sua editione ponentes; & Patris, Verbi, & Spiritus testimonium omittentes; in quo maxime & Fides Catholica roboratur, & Patris, & Filii, ac Spiritus Sancti una Divinitatis substantia comprobatur. Si hæc sunt Hieronymi, Manuscriptorum varietas vel in Amanuenses, qui neglexerint, vel in Interpretes, qui permagni ponderis locum præterierint, esset utique referenda.

Dottissimi verò Critici hujus Præfationis Authorem esse Hieronymum omnino inficiantur. Erasmus de ejus falsitate suspicatus, quis Præfationes in Libros Evangelio appositas confecerit, incertum asserit [f]. Simonius etiam Hieronymo falsò tribui tuctur; quam quidem sententiam P. Martianus in sua novâ S. Hieronymi editione quinque argumentis fulcit.

1. Præfationis Author Septem Epistolas vocat Canonicas; Hieronymus verò Catholicas semper appellat. 2. Epistolas apud Græcos Orthodoxos diverso, quàm apud Latinos, ordine collocari perhibet: Non idem ordo est apud Græcos, qui integrè sapiunt, & fidem rectam sectantur, Epistolarum septem, quæ Canonice nuncupantur, qui in Latinis Codicibus invenitur: quòd quidem Hieronymus nunquam enunciaisset; optimè enim eas sciverat à Laodicenis Concilio (g), Eusebio (h), Cyrillo Jerosolymitano (i), Athanasio (k), Gregorio Nazianzeno (l), Joanne Damasceno (m), & à Ms. denique Græcis codem, quo à nobis, ordine numerari. Hæc verò non est mens Authoris, qui illud tantummodo innuit, quòd cum Latina Exemplaria cum Græcis in Epistolis distribuendis suâ ætate non convenirent, Græcos imitatus naturali eadem ordini restituerat. Quod quidem liquidò constat; nosque in exercitatione in Canonicas Epistolas à S. Augustino, & post ipsum, & post Hiero-

e Vid. Prolog. Vulgatum De Hieron. in Ep. Canonic.

f Erasmi de Genfur. Præfat. in to. 4. 3. Ep. Hieron.

g Concil. Laodic. can. 60. h Euseb. l. 3. Hist. c. 25. i Cyrill. Jerosol. Cathec. 4. k Athanas. Epist. Festal. & in Synopsi. l Gregor. Nazian. Carm. de Genii. Scrip. m Damasc. l. 4. de Fide Orthodox. c. 18.